

1329 setembre 2. València

Alfons III al veguer i al batlle de Girona o a llurs lloctinents. Els mana que no permetin que els jutges ordinaris rebin altres salaris dels plets, de les sentències, o dels diners dipositats en la cort pels deutors que no siguin els acostumats.

- A. Original: AHCG, Lletres Reials. 205 × 285 mm. Bon estat de conservació. **1:** Registrata. **Segell comú:** Restes de cera vermella pertanyents a un segell de 90 mm aprox. de diàmetre. **Lletra oberta. 2:** És continuada en lo libre verd en cartes CC L V.
- B. Còpia del segle XIV: AHCG, *Llibre Verd*, f. 284r i v.
 - a. C. GUILLERÉ, *Llibre Verd...*, doc. 81, ex B.

Alfonsus, Dei gratia rex Aragonum, Valencie, Sardinie et Corsice ac comes Barchinone, dilecto et fideli suis vicario et baiulo Gerunde vel eorum locatenentibus, presentibus et qui pro tempore fuerint, salutem et dilectionem.

Ad nostrum noviter pervenit auditum quod, licet iudices ordinarii Gerunde, qui in predictis vobis assistunt officiis, habeant et percipiant pro eorum labore certa et assueta salaria, nec a civibus vel incolis civitatis predictae debeant ac consueverint aliqua salaria recipere pro causis que inter illos adinvicem sub illarum vertantur examine aut pro sententiis inde latis, ipsi tamen in hiis multipliciter abutentes ultra predicta consueta recipiunt salaria a civibus et incolis supradictis. Et se huiusmodi abusui amplius immergentes, cum debitores interdum deponant in posse curie suas pecunias pro satisfaciendo debite creditoribus eorumdem, ipsi iudices recipiunt duos solidos pro libra omnium quantitatum que ratione predicta in curia vestra, ut predictur, deponuntur. Et licet insuper de causis inquisitionum factarum pro commissis criminibus, nisi in certis casibus, nichil recipere debeant, illi tamen de illis, et specialiter cum ad transaccionem vel compositionem proceditur ab inculpatis, salaria recipiunt et extorquent, ex quo sepius curia nostra in iure sibi debito defraudatur. Quocirca, nolentes quod dicti iudices premissis de cetero abutantur, volumus ac vobis districte precipiendo mandamus quatenus non permittatis, ymmo fortiter inhibere curetis ne dicti iudices non assueta hactenus et ab antiquo salaria recipiant pro premissis, set salariis assuetis et debitis contententur. Preterea firmiter inhibemus ne aliquis qui regat officium pro prelato vel nobili vel alias sic eorum domesticus teneat contra constitutiones Cathalonie officium pro nobis in dicta civitate, ymmo super hoc servetur tenor et forma constitutionis huiusmodi inconcusse. Vos itaque hec nobis significetis cum se ingesserit ut super eis possimus debite providere.

Data Valencie, quarto nonas septembris, anno Domini millesimo CCCº XXº nono. Examinavit Rodericus.*